



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

§. 3. Exempla zelantium obseruationem legum in alijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39637

Deum; sed potius eligere, à Regum gratia excidere, aut vitam ipsam amittere, quàm suam conscientiam aliqua culpa maculare: fidentes Deo omnipotenti, ob cuius obsequium huic periculo sese offerunt, quoddam, si ita expediet, sit ipsos ab eo periculo liberaturus. Quod si quando permiserit, eos corpore mori: id erit, ut anima viuat *eternum*: & dignitate quidem terrena excident; sed Reges euadent in caelo, ubi Regibus ipsos opprimentibus praferentur in honore. Ed autem diriguntur insignia illa verba, quae venerandus ille Matathias subiecit, ut filios suos magis instigaret: quos Rex Antiochus crudelissimè persequeretur, ut eos ad Legis Dei transgressionem horrendis cruciatibus impelleret: *ka verbis inquit, viri peccatoris ne timueris: quia gloria eius stercus & vermis est. Hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perit. Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis*, potentior est Deus ad vos extolendos; quam sit tyrannus ad opprimendos. Gloria Regum improborum tanquam *stercus* est, ut quae ob eorum pessima opera valde foetet: & tanquam *vermis*, qui conscientias rodit: estque tam breuis, ut non duret ultra diem; aded est fragilis, ut sit in *puluerem* conuertenda; adeoque inanis, atque vana quaedam *cogitatio*. Opponite itaque vos hosti huic magna animi fortitudine, zelantes gloriam legis ac legislatoris, cuius virtute glorificabimini, & de vestris hostibus triumphum agetis.

§. III. *Exempla zelantium obseruationem legum in aliis.*

TRANSEAMVS ad alia quatuor exempla magis propria zeli, qui studet vt lex DEI in Republica seruetur, & iniurias vlciscitur, in eam factas. Quorum primus valdeque insignis fuit PHINEES nepotis summi Sacerdotis Aaron, cuius zelum extollit Matathias, dicens: *a Phinees zelando zelum Dei accepit testamentum, & supremam Sacerdotii aeterni dignitatem. Què zeli in eo ostendit, quoddam arrepto pugione, perfoderit virum Hebraeum & mulierem Moabitidem similiacentes. Appellatur autem zelus Dei, eò quòd ipse illum inspirauerit, & Phinees intuitu ipsius Dei illo fuerit permotus, zelando ipse honorem & custodiam legis eius. Estque viuū quoddam exemplar zeli, què Christiani Reip. moderatores habere debent. Nacsto Ecclesiasticis non liceat pugionem propria manu accipere contra peccatores; certis tamè temporibus merito adhibere debet *excommunicationis pugionem* in rebelles & inobedientes: occidendo eos spirituali hac morte, quae eos abscindit ab Ecclesia, & à reliquorū Christianorum communicatione separat; & (vt Apostolus ait) *tradit ipsi Satana*, non in eum finem, vt ab eo deuorentur, sed vt hoc metu perculli, ad seipsos redeant, suiq; peccati eos poeniteat. Seculares verò Principes, licet nō propria manu gladiū materiale accipiant, vt per seipios puniant delinquentes: debent tamen gladium zeli arripere firmis-*

Momentum
periat, aeternū
maneat.

ki Mach, 2
62.

Zelantes in
aliis.

I.
Phinees
castris.
a Mach, 1. 2.
54.
b Nu, 25, 8.

Gladius ex-
communicationis
pugionis.

c. 5. 5.

ma animi deliberatione ac decreto eos puniendi, quando ad honorem De propagandum, eiusq. legem custodiendam id erit necessariū, ad imitation Sancti illius Regis: dicentis: *d In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Certum est autem sanctissimum Regem Davidē non confueuisse arrepto in manu gladio prodire ad interficiendos peccatores terræ: sed quotidie matutino tempore orationi se tradidisse, & obtulisse Deo efficacia sua vota ac desideria destruendi peccata; & quoad fieri posset iniquitates præueniendi ac impediendi. Hoc enim est peccatores interficere; nō ipsos semper occidendo, sed peccata: vt homines sine illis vitam ducant, & expurgando civitatem ab his feccibus illam inficientibus. Et hoc appellat interficere peccatores: quia scilicet sunt tales, vt peccatis morientes, peccatores esse desinant. Quamuis si peccata sint aliis scandalo, & Reip. nocumentum adferant, licebit, imò in aliquibus casibus necesse erit, peccatores aliquos interficere, vt similes alij timeāt, & peccata in ipsis moriantur, aut in ea incidere caueant. Nec parum vtilem zelum hunc Principes reputent: Adfert enim secum duo præclara bona: alterum ipsi sicut *Principibus*, alterum toti *plebi*. Nam quemadmodum Phinees propter insignem huiusmodi zelum confirmatus fuit in æternum in dignitate sacerdotali, ita ait Sapiens: *e Iustitia firmatur solum.* & Deus Reges confirmat in Regno, & gubernatores in sua gubernatione; dans eis prosperos rerum suarum euentus ob zelum, quo curant diuinas. Sed maiorem adhuc admirationem adfert, quod in hoc casu dixit Deus ad Moysen: *Phinees filius Eleazar filii Aaron Sacerdotis auertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delearem filios Israel in zelo meo,* voluit enim significare: zelum Phinees in causa fuisse, cur Deus ipse non vteretur suo zelo, ad horrendam ultionem sumendam de peccatis populi. Zelus itaque Regum & Reip. moderatorū auertit pœnas & supplicia, quæ zelus Dei mitteret alias in Remp. Deus enim (vt proximè dicebamus) seuerissimè eos castigat, qui contra Iustitiam delinquant, quando Reges ipsi id facere negligunt, aut dissimulant: contra verò ira eius placatur, quando ministri iustam vindictam sumunt. Scriptum est enim: *g nō vindicabit Deus bis in idipsum.* Ac proinde iustus gubernatorum zelus est pietas & misericordia: siquidem leuiori pœna Remp. suam reseruant a multo seueriori, quam zelus Dei in eam irati misisset: contra verò mollities & pietas remissorum in hoc zelo, est potius crudelitas in suum populum: siquidem propter illos Deus aggreditur per se seueriorem punitionem. Id enim v. postolus cum dixit: *h horrendum est incidere in manus Dei viuentis, & ... ati.*

CONIUNGAMVS huic exemplo alterum, magis adhuc zelantis, de quo dixit Matathias: *i Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in celum.* Nam sanctus

in gladij v.
opandum.
1. sal. .00.

3.

Nō peccatores sed peccata occidenda.

Nisi scandalo sint, aut damno.

c Pro. 16. 12.
Zelo firmatur Regnū.

h Nu. 25. 11.
Zelus Regū est misericordia contra præueniēs iram Dei.

g Nau. . . .
iuxta LXX
Remissio
crudelitas.

h H. b. 10. 11.

2.

i. Mach. 2.

38.

11. Mach. 2.
58.
Elia igni-
cus zelus
fidei.
13. Reg. 18.
22. 40.
14. Reg. 1. 10
m Cap. 2. 12

ille Propheta feruentem suum zelum ostendit, quod fuerit horrendus omnium inimicorum Dei, legisq; eius persecutor. Quos, cum ad veritatis viam reducere non posset; inuicta eos fortitudine, ac leuerissima Iustitia puniebat. Semel enim apprehendit *Prophetas Baal, & interfecit eos; ita ut ne unus quidem effugeret ex eis. Erant autem quadringenti & quinquaginta*, qui populum seducebant; & iterum *descendere fecit ignem de celo, ac deuorare multos milites cum suis ducibus, qui erant idololatrae*. Et in praemium huius zeli translatus est *in calum curru igneo & equis igneis*: ut hinc Principes intelligant, se operibus similibus, a Sancto zelo prouenientibus, fabricare sibi *triumphalem currum*, in quo transferantur in zelum Empyreum. Ardeat igitur in eis *ignis amoris Dei, & eius gloriae diuinae zelus*; hic ignis deducat eos quocumq; iuerint; & permoueat ad omnia quae aggredientur: idem eos urgeat ad summendam ultionem de inimicis fidei, eosque igni comburendos, ne aliis noceant. Si enim talem ignem in hac vita sibi coniunxerint, erit illis currus instar & equorum ignis velocissimorum, qui & in altum extollet, & ad aeternam requiem perducet.

3.
n Num. 14. 6
Iosue &
Caleb,
Fortitudi-
nis.
01. Mach. 2
55.

TERTIVM magni zeli & fortitudinis exemplum est *n Iosue & Chaleb*, qui cum decem aliis sociis iuerant, ut promissionis terram explorarent & cum reliqui socij exiis, quae viderant, timore perterriti populum deterreret, duo illi Dei honorem magno zelo propugnantes, populum extimulabant, ut pugnam aggredierentur: & hic duorum vitorum zelus ita Deo placuit, ut cum populus furiosus vellet illos lapidare, descenderit ipsemet cum ingenti gloria ad eos defendendos. In cuius fidelitatis praemium ait Matathias: *o Iesus (alio nomine Iosue) dum impleuit verbum: factus est Dux in Israel, & Chaleb dum testificatur in Ecclesia, & coram populo, promissam terram collaudat, accepit hereditatem in ipsa terra promissionis, cum reliqui in deserto periissent*. Nam magnus Deus noster suscipit in se tutelam obedientium, zelosorum & fortium: vtriusq; eorum opera ad insignia & gloriosa facinora, relictis timidis, qui ex pusillanimitate, praecipis satisfacere praetermittunt.

4.
David bo-
noru Dei.

IMPONAMVS tandem finem cum exemplo Regis *Dauidis*, de quo idem Matathias ait: *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem Regni in secula, & relictis nunc aliis misericordiis eius, de quibus postea, nunc motiuum tantum perpendamus heroici zeli ac fortitudinis, qua statuit populum suum liberare a magna illa anxietate & angustiis, in quas Gigantis illius Goliath superbia eum coniecerat, prouocando eos ad singulare certamen, & ipsorum Deum, ac legem contemnendo. Tactus enim iuuenulus opilio huius misericordiae commiseratione, accenditur magno zelo propugnandi honorē Dei, quē superbus Gigas contēnebat: magnaq; animi fortitudine, cum alii oēs fugerent, ipse eos fugantē aggreditur: ac vincit: propter hanc igitur misericordiam dignus*

effectus

effectus est, qui Regnum consequeretur, cuius Saul indignum se reddiderat. Hic enim regnum amisit, eò quòd non paruerit Deo in occidendis Principibus Amalech, iuxta Dei mandatum; Dauid autem illud acquisiuit, quia magno Zelo obtulit se ad occidendũ Gignantem, qui Deum viuum irridebat. Saul eiectus fuit ex Regno ob conculatum præceptum; Dauid ad Regnum promotus, eò quòd consilio paruerit, cum non iussus exijt ad pugnam, vt fratres suos à periculo liberaret. Saul cum esset Rex, ad quem propterea bellum spectabat, etiamsi alia etiam graua bella superasset, timuit tamen Gignantem, seseque retrahebat: eò quòd inobedientia sua fortitudinem ipsi abstulisset zeliq; defectus timidum reddidisset. Dauid verò etiamsi iuuenis, nec similes congressus expertus, nihil timet, neque hunc refugit: quia bona ipsius conscientia feruorque & zelus fortitudinem eius auget. Id enim significat verbum illud Dei: *p vir obediens loquetur victoriam*: quia remunerat Deus zelum *obedientia* dono *fortitudinis*: vt in bellicis congressibus victoria potiatur. In eo igitur gloriantur Reges, & gubernatores, quòd sint ipsi Deo suo valde obediens; ac zelantes, vt omnes sui subditi tales sint. Nam si prædicta exempla imitentur insignium illorum *undecim* virorum, etiam bona consequentur, quæ illi obtinuerunt.

Dauid Ze o regnum ob-tinuit, quod Saul remissione amisit.

p Pro. 21. 28

Obedientia victrix.

CAPVT VII.

CHRISTIANAM GVBERNATIONEM FVNDARI
debere in charitate cum mansuetudine, clementia & misericordia: locum tamen zelo ipsi dandum.

HACTENVS Zeli opera ad eò extulimus, vt opus sit statim illi terminos ac limites adhibere: ne contra reliquas charitatis matris suæ proles erigatur. Ad cuius explicationem reuocandi sunt in memoriam duo modi, quibus supremus hominum gubernator in eisdem gubernandis est vsus, à quo discere illos oportet duos suos gubernandi modos: alterum cum *amore & lenitate*; alterum cum *timore & asperitate*: quorum meminit ipse Dominus per Zachariam Prophetam dicens: *a assumpsit mihi duas virgas ad gubernandum gregem meum, vnã vocaui decorẽ, & alterã vocaui funiculum*: quo & agri mensurantur, & ex eo fit etiam *b flagellum*, quo Rei puniuntur. Hæ *due* virgæ significant duos modos gubernationis, quibus Deus D. N. homines in varijs statibus gubernauit. *Primum* enim eos gubernauit cū *amore & lenitate* in statu Innocentiæ: cui modo aptè competit nomen *decoris* propter pacem, lætitiã, & felicitatẽ, quam cum Iustitia originali habebat: quãuis præceptũ quoddã illis impo-

Duo modi gubernationis diuina.

a Zach. 11. 7

b Ioan. 2. 15.